

Iohanne Witich in Biberstain<sup>78</sup>, Narcholino Leusone in Columbaria<sup>79</sup> dicti prioratus preceptoribus et pluribus aliis ibidem fratribus vocatis, congregatis et rogatis.

Qua quidem littera sic, ut premittitur, per me notarium publicum pre- et infrascriptum diligenter transsumpta et auscultata idem dominus Andreas locumtenens per Poloniam etcetera nomine tocius ordinis sancti Iohannis Iherusalem sibi a me notario publico infrascripto confici petiit hoc presens publicum instrumentum. Acta sunt hec anno, indictione, die, mense, hora, pontificatu et loco quibus supra presentibus discretis et providis viris domino Petro Waltersdorff, altarista in Strigouia, Georgio Gerber, Nicolao Salezborer et Iohanne Kauffman testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Et ego Iohannes quondam Nicolai Grolug de Konigisberg, clericus Sambien(sis) diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, prescripte littere exhibitione, ostensione, petitione omnibusque aliis et singulis premissis, dum sic, ut premittitur, agerentur et fierent, unacum<sup>i</sup> prenominationis testibus presens fui eaque sic fieri vidi et audiui ideoque hoc presens publicum instrumentum per alium me aliis prepedito negotiis fideliter ingrossatum exinde confeci, publicavi et in hanc publicam formam redigi [!] signoque et nomine meis solitis et consuetis consignavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Sequitur confirmacio instrumenti suprascripti: Frater Iohannes de Lastico etcetera et nos conventus Rhodi domus eiusdem venerabili ac religioso nobis in Christo precarissimo fratri Wenceslao de Michelsperg prioratus nostri Bohemie priori salutem in Domino sempiternam. Exigunt vestra commendabilia merita et opera virtuosa necnon et administracio accomoda, quam in commisso vobis prioratu nostro habuistis et vos imposterum eo melius habere speramus, ut vobis merito reddamur ad gratias liberales. Hinc est, quod, cum prioratus noster antedictus vobis dudum per venerabiles religiosos in Christo nobis precarissimos fratres quondam Hugonem de Sarcus, prioratus nostri Francie priorem, Petrum Lamandi, ordinis nostri procuratorem generalem, et Racellum de Auria, Ianue preceptorem, olim per bone memorie

i) cum über der Zeile

78) Fr. Johann Wittich, Komtur zu Biberstein: ZIMMER / BRAUN (wie Anm. 50) S. 122f.

79) Komtur zu Colmar in Elsass war allerdings von 1433 bis 1447 durchgängig Fr. Marx Helffant. Für den freundlichen Hinweis danke ich Georges Bischoff, Straßburg.